



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio IV. De Termino Relationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

ras denominationes relativas, non minus quam Entia absoluta, nam tam verè sunt sibi duo alba similia, quam verè ipsæ similitudines, sunt sibi similes. Ergo si Entia absoluta fundant relationes reales, fundabunt & ipsæ relationes alias relationes.

RESPONDETUR. Nego anteced. cum sua probatione propter dicta ad primam probationem, & ejus Instantiam.

OBJICITUR 3. Entia absoluta possunt fundare relationem, ergo & ipsæ relationes poterunt.

RESPONDETUR. Nego Conseq. Disparitas est, quia Entia absoluta sunt quid ratum, positivum, nemine cogitante propriam existentiam habens, quod non competit relationibus. Disparitas alia est, quia si absoluta fundent relationem, non sequitur processus in Infinitum, qui sequeretur, si una relatio fundaret aliam. Disparitas denique est, quia fundare absoluta relationem similitudinis, est illa habere qualitatem eandem, quia verò habere qualitatem eandem & esse sibi similia, non fundat habere qualitatem aliam eandem, ideo nec una relatio fundabit aliam.

INSTAT. Binarius hominum, & binarius leonum, sunt numeri diversi, rursus binarius binariorum non est binarius tantum hominum aut binarius tantum leonum, sed est quid constatum ex duobus binariis: Ergo est quid ab utroque distinctum: Ergo ulterius binarius hominum & binarius leonum fundabit binarium binariorum. Ergo ulterius una relatio aliam.

RESPONDETUR. Concedo antecedens quoad utramque partem. Conseq. autem Dist. primum. Ergo binarius binariorum est quid realiter ab utroque binario distinctum. Nego Conseq. Est quid ratione distinctum. Conced. Conseq. Certè enim binarius ille binariorum, non est quid reale ultra binarium hominum, & binarium leonum, sed in re binarius binariorum est binarius leonum & binarius hominum.

OBJICITUR 4. Proportionalitatis analogia, est realis, cum tamen illa sit convenientia convenientiarum, seu fundata convenientia, supra convenientias. Ergo una convenientia potest fundare aliam. Ergo & una relatio aliam.

RESPONDETUR. Proportionalitatis analogia est in hoc realis, quia non est merè ficta, sed non est realis, hoc est nemine cogitante, actu, ultra ipsa proportionalia, imò in re nihil est, præter ipsa proportionalia. v.g. Proportionalitas in ratione Principii conveniens cordi, fonti, auroræ, nihil est, præter fontem, cor, auroram &c. quæ convenire advertendo Intellectus in ratione Principii, potest concipere convenientiam convenientiarum.

OBJICITUR 5. Formalis effectus paternitatis est referre filium ad patrem, & non est effectus illius formalis primarius esse similem, alteri paternitati. Ergo ad illam paternitatem, alia

relatione referri, debet. Ergo una relatio fundabit aliam.

RESPONDETUR. Formalis effectus paternitatis, quæ est forma ex modo nostro concipiendi, est referre filium, ad patrem. Conc. antecedens formalis effectus paternitatis, quæ sit forma nemine cogitante ultra patrem & filium distincta. Nego antecedens. Consequens autem subdistinguo. Ergo ad illam paternitatem, aliâ relatione realiter referri debet. Nego Conf. alia relatione per rationem. Transeat. Ergo ulterius una relatio fundabit aliam realiter. Nego. Per rationem. Transeat.

QUÆSTIO IV.

De Terminis Relationis.

PRÆMITTO 1. Quid sit Terminus? quem dixi supra esse illud aliud, ad quod terminatur relatio.

PRÆMITTO 2. Relationem transcendentalem non requirere Terminos actu Existentes, hinc relatio causæ, est ad effectus quantumvis illi actu non existant, imò potest esse relatio transcendentalis potentia cognoscitiva ad non Ens, ad Chimæram, in quantum illa est cognoscibilis.

PRÆMITTO 3. Relationem predicamentalem requirere Terminum actu existentem.

RATIO. Tum quia relatio predicamentalis, si spectetur secundum quod est nemine cogitante, duo requirit actu, quomodo enim erit pater, qui nunquam genuit? quomodo erit paries similis, si nullum habeat alium parietem, cui sit similis. Tum quia, si est pater qui non habet filium, sed tantum habet possibilem: Ergo & possibilis filius, qui nondum est, habet patrem, hæc enim sunt correlativa, consequenter erit genitus antequam sit. Tum quia si potest esse relatio predicamentalis etiam si non existat terminus: Ergo nullæ sunt de novo relationes predicamentales.

CÆTERUM non existente utroque Termino, quantumvis sine ulla jam reali Relatione (nisi forte ampliativa) possunt tamen aliqua relativas denominationes habere, & ita v.g. dicitur Joannes esse filius Petri, etiam si Petrus sit mortuus, & non existat, non quòd nunc verè sit Relatio, sed quòd ratione habitæ Relationis, hæc denominatio perseveret, adeoque ampliativè. Aliqua tamen, non existente, utroque termino, non habent denominationes relativas, & ita non dicitur pupillus habere Patrem, non dicuntur infantes occisi pro Christo, esse Patres, quantumvis potuerint esse Patres, nec dicitur filius esse pater sui patris, quantumvis possibile foret, ut eum quem aliquis habuit pro patre, haberet pro filio, si aliter Deus ordinasset. Quare autem aliqua sortiantur denominationes relativas, non existente utroque extremo, aliqua non sortiantur, reddit pro ratione Arriaga, consuetudinem, & usum humanum, qui aliquibus pro

micro

mero hominum placito tribuit denominationes relativas, aliquibus negat. Rationem paulo aliam reddit Ovid. Conv. 9. Metaph. par. 3. v. 11. Rationes fundandi relationes, sunt duplices, quædam sunt per modum actûs, seu actionis, quæ ex se est transiens, qualis est Ratio fundandi ad Relationes, secundi fundamenti, seu secundi, ut vocant Ordinis, quædam sunt Rationes fundandi, quæ sunt per modum habitus, quæ quiete & mortuo ut ita dicam modo, subiectum denominant. Relationes secundi generis, non requirunt actu existentem terminum, ut subiectum denominetur relativum, requiritur tamen ut ratio fundandi, vel existat, vel existerit. Unde, quamvis jam cesset, ratio fundandi, adhuc subiectum denominabitur relativum, eo quod ratio fundandi, censetur virtualiter durare in genere Moris: ad eum plane modum, sicut dicuntur permanere actus voluntatis, in effectibus, qui ab actu voluntatis, originem trahunt, & sicut censetur durare intentio finis, durante executione mediorum: sic etiam hic, cessante jam alteratione generativa, Joannes dicitur filius Petri, eo quod censetur moraliter durare, quia durat Entitas Joannis, quæ est per veram generationem producta. Rationes autem fundandi, quæ sunt per modum habitus, & spectant ad relationes primi fundamenti, seu prioris Ordinis, nec durant nec adferunt denominationes relativas, ratione fundandi sublata, & ita non dicitur, subiectum simile in albedine alteri subiecto, si alter paries denigretur, nec dicitur æquale lignum alteri, sublati aliquibus, in altero partibus. Neque juvat ut dicatur nunc paries similis, quia fuit ante similis, nam ex una parte tam verè id quod fuit, sed nunc non est, tam verè inquam non est, quam verè non est id, quod nunquam fuit: ex altera parte non est usus hominum tribuendi talibus denominationes Relativas.

DICES. Relatio transcendentalis, potest esse & quidem realis ad terminum non existentem: Ergo & relatio prædicamentalis.

RESPONDETUR. Nego Conseq. Disparitas est in nostris principiis, quia absurdum esset, si Relatio transcendentalis non posset esse ad terminum non existentem, sequeretur enim quod posito subiecto Relationis transcendentalis, non esset hoc ipso Relatio transcendentalis, quod dici non potest, alias adveniret relatio hæc subiecto, non essetque illi essentialis, siquidem potest esse subiectum sine illa; nullum autem est absurdum ut Relatio, quæ de se est adveniens, si terminus illius absit, hoc ipso non sit Relatio. His præmissis, sit

DIFFICULTAS I.

An Relatio terminetur ad relativum esse, an verò ad absolutum?

Sensus quæsti est: An Relatio v. g. paternitatis referatur ad Entitatem filii, an verò ad ipsam relationem filiationis? Jam verò cum dixerim in se relationem non esse quidquam supra Fundamentum & Terminum, seu duo absoluta aut extrema, consequenter dico, nihil esse in Termino relativum, quod non sit absolutum, adeoque quod ad rationem absolutam relatio terminetur: Procedet ergo quæstio, de solis conceptibus; an scilicet relationem, quam concipimus per modum Formalitatis, referentis unum ad aliud, an inquam hanc Formalitatem concipere debeamus, respicientem aliud ut relativum, an verò ut absolutum.

DICENDUM I. *Relationem non mutua terminari ad Absolutum.*

PROBATUR 1. Ex Arist. 6. Met. tex. 15. ex quo textu sic arguitur. Mensurabile terminat relationem, non sub relativa ratione. Ergo relatio non mutua, ad absolutum terminatur. Antecedens probatur. Si mensurabile terminaret relationem per aliquid relativum referretur ad mensuram, sed non refertur. Ergo. Minorem textus Arist. probat.

PROBATUR 2. Si relatio non mutua terminaretur ad relativum, daretur in Termino non relato mutuo, daretur inquam ratio relativi, sed non datur in Termino non relato mutuo, ratio relativi. Ergo relatio non mutua non terminatur ad relativum. Minor probatur. Si in Termino non relato mutuo, daretur ratio relativi, hoc ipso non relativum mutuo, esset relativum mutuo, impossibile enim est dari in aliquo rationem relativi, & tamen illud non esse relativum. Major principalis probatur. Daretur in non relato mutuo ratio terminativa relationis. Sed ratio terminativa relationis, est ratio relativa. Ergo daretur in non relato mutuo, ratio relativi. Habendum hic præ oculis exemplum relationum non mutuarum, quomodo refertur mensura ad mensurabile, scientia ad scibile, non è contra, & in sententia Thomistarum refertur creatura ad Deum, non Deus ad creaturam.

RESPONDET I. Cajet. Relativa non mutuo invicem referri, quamvis relatio utrique non insit. Unde non ideo appellantur non mutuo relativa, quasi utrumque non referatur extremum, sed ideo appellantur non mutuo relativa, quia non utriusque inest relatio, hinc etiam relativum non mutuo, terminat relationem aliud extremi, in quantum vicissim ad illud refertur.

CONTRA est I. Ergo relativa non mutuo, sunt & relativa, & non sunt relativa, non sunt relativa ut supponitur, & sunt relativa, quia referuntur ad se invicem: neque dici potest unum extremum relatione in alio recepta referri, quia certè, non potest esse quis albus albedine in alio existente, & sibi non unita, nec potest aliquid esse æquale æqualitate aliud subiecti: Ergo nec relativum relatione aliena.

† Pp 2

CON-

CONTRA est 2. ex Hurt. Deus per Cajet. est id, ad quod formaliter refertur creatura. Ergo in Deo debet esse Ratio formalis terminandi. Consequens probatur. Quia si in Deo, non esset Ratio formalis terminandi, hoc ipso non denominaret Deum formaliter terminantem, ratio enim formalis terminandi, denominat formaliter Terminum. Supponitur enim hæc Relatio creaturæ ad Deum, esse ad Deum, quod si est in Deo ratio formalis terminandi: Ergo & in Deo est relatio, cum per Cajet. Relatio terminet Relationem.

CONTRA 3. Relatio Dei terminans Relationem, A, quam creatura dicit ad Deum, vel est eadem, cum relatione, A, creaturæ, vel non est eadem, si est eadem, ergo Relatio A creaturæ refertur ad se ipsam, quod repugnat, unde ne hoc absurdum sequatur, necessarium est, ut agnoscat Cajet. illam Relationem, ad aliquid absolutum terminari. Si autem Relatio A creaturæ non terminatur ad se ipsam, & tamen terminatur ad Relationem. Ergo Deus dicit Relationem qua terminet relationem A creaturæ, quod est inconsequenter dicere, cum Cajet. nullam in Deo agnoscat relationem ad creaturam, cum inquam, non agnoscat Relationem distinctam à Relatione creaturæ. Quando verò Arist. 5. Met. tex. 16. sentit extremum scibile dici ad aliquid, non quia ipsum dicatur ad aliquid, sed quia aliud, dicitur ad ipsum, non sentit per hoc, quod possit aliquid referri ad aliud relatione non sua, seu relatione alius extremi, sed tantum sentit, ex eo, quia ad scibile refertur scientia, ex eo inquam scibile referri, hoc est revocari, reduci, & pertinere ad Prædicamentum ad aliquid, tanquam Terminum.

RESPONDENT 2. alii. Deum terminare Relationem creaturæ, extremum item non relatum terminare Relationem extremi relati, non sub ratione absoluti, sed sub ratione relati, ponuntque in Deo & non in Relatis mutuo, Relationem Relationis, quæ subeat vices termini.

CONTRA est, ex Suar. etiam si nullam intellectus istam relationem fingat, aut consideret, tamen Relatio creaturæ verè terminabitur ad Deum: Ergo non per istam relationem Relationis, Deus terminat Relationem creaturæ. Antecedens probatur. Non enim mea fictio facit, quod à Deo pendeat creatura, illud autem quod urgent: Deum cognoscere factibilem esse Relationem Relationis, hacque ipsa formalitate, terminare Relationem creaturæ, omnino impertinens est, nam creatura non respicit Deum, ut speculantem possibilitatem, fingendæ & concipiendæ Relationis, sed respicit creaturam Deum, ut productivum creaturæ: Ergo non ad hanc Relationem Relationis, tanquam ad Terminum tendit.

RESPONDENT 3. Fonsec. l. 5. c. 15. q. 5. f. 4. per relationem rationis Deum terminare Relatio-

nem creaturæ, quæ etiam si actu non existat, potest tamen convenire: actu Creatori: sicut etiam si Homo non existat, est tamen actu animal Rationale.

CONTRA 1. Impossibile est actu aliquid convenire alteri, & non esse tamen actu, quia prius est esse actu, posterius esse actu conveniens.

CONTRA 2. ex Suar. Falsum est Homini actu non existenti, convenire actu esse animal.

CONTRA 3. ex Hurt. Relatio creaturæ tendit realiter in Deum: Ergo Deus est terminus realis ut quod Relationis: Ergo habet formalitatem aliquam realem, à qua tanquam à Relatione ut quo denominetur terminans, sed Relatio rationis etiam cum est actu, non est in Deo, ergo neq; denominat Deum.

DICENDUM 2. *Relationes etiam Mutuas terminari ad absolutum.*

PROBATUR 1. Ex Suar. adducente tale axioma: Id quod in unoquoque principio est Ratio fundandi propriam relationem est Ratio eandem in alio extremo terminandi, sed principium propriæ Relationis, fundat illam secundum esse Absolutum. Ergo & terminat illam secundum esse Absolutum. Probat Major. Ratio fundandi est illa, per quam redditur ratio, cur hoc fundamentum referatur ad illum terminum, sed eadem ratio redditur, propter quam unum extremum refertur ad alterum, & propter quam alterum terminat eandem Relationem. Ergo ratio propter quam unum extremum fundat Relationem, est eadem cum illa, propter quam extremum aliud, eandem terminat. Minor probatur. Inquirenti cur hic paries ad alium referatur relatione similitudinis, non respondemus, quia in se relationem habet, sed quia est albus. Rursus si quæramus, cur hic alter terminat Relationem illius, non respondemus, quia relationem habet, sed quia est albus, ergo eadem est ratio fundandi & ratio terminandi, sed Ratio fundandi relationem est absoluta: Ergo & Ratio terminandi.

PROBATUR 2. Paternitas terminatur ad substantiam filii, non ad filiationem: Ergo Relatio mutua, potest terminari ad absolutum. Antecedens probatur. Paternitas, est relatio causæ ad Effectum, in actione enim fundatur, sed effectus causæ generantis, est substantia filii genita, generatio enim tendit in substantiam hominis geniti. Ergo substantia filii geniti, est terminus paternitatis.

PROBATUR 3. Communiter Relatio mutua dependet à termino in suo esse. Ergo præsupponit terminum: sed non præsupponit correlativum, correlativa enim sunt simul natura. Ergo præsupponit absolutum. Ergo & illud absolutum terminat relationem.

CONFIRMATUR. Ad aliud refertur relatio parietis alibi A cui est similis paries A, sed non est simili-

similis relationi parietis albi B, sed ipsi parieti albo. Ergo ad illud, & non ad ejus relationem, terminatur similitudo. Deinde in relatione non mutua habet terminus sufficientem vim, ut secundum esse absolutum, terminet relationem. Ergo & in relatione mutua terminus habebit sufficientem vim, ut secundum esse absolutum terminet relationem.

RESPONDETUR Complut. ex Nazario. Esse absolutum præexigi ad hoc, ut terminet Relationem tanquam fundamentum, sed non exigisse absolutum tanquam formalem rationem terminandi.

CONTRA est. Tum quia hoc ipsum negatur quod esse absolutum, tantum ut fundamentum, non verò tanquam ratio formalis terminandi præexigatur. Tum quia ille terminus formaliter terminat Relationem, quo posito & impossibili alio, posset adhuc esse relatio Paternitatis, sed impossibili Filii relatione, posita verò tantum substantia genita adhuc esset relatio. Ergo. Minor probatur. Impossibili filiatione, quam volunt Complut. esse superadditam realiter, modo ponatur substantia genita, erit verè impossibili filiatione superaddita, Relatio Paternitatis. Tum quia in non relativis mutuo, esse absolutum terminare potest Relationem. Ergo idem absolutum poterit & in relativis mutuo terminare.

DIFFICULTAS II.

Rationes Oppositorum.

OBJICITUR 1. Auctoritas Theologica. Divinæ Relationes, non terminantur ad aliquid absolutum quod est Natura, sed ad relativum v.g. ad filium: Ergo & creaturæ Relationes non terminabuntur, ad aliquid absolutum sunt enim imitationes increatarum.

RESPONDETUR. Dispar. posse assignari, quia si Relatio paternitatis v.g. non terminaretur ad aliquid relativum, non haberet ad quod terminaretur; non enim posset terminari ad naturam, quia terminus hujus relationis deberet esse distinctus realiter, cum tamen natura non sit distincta realiter in divinis v.g. à filio qui refertur ad Patrem; Similis autem ratio non urget in Creatis si relatio terminetur ad aliquid absolutum. Ad mentem Bonavent. & consequenter ad dicta in prima parte. Negatur Antecedens. Ratio est, quia sentit Bonaventura non Relationibus sed Originibus personas constitui, relationes autem eis advenire, & in eis fundari. Consequenter dicit paternitatis relationem terminari ad passivam Originem filii, Relationem autem filiationis, terminari ad originem activam filii, consequenter non terminari relationem formaliter. Imò posito quod Relationibus personæ constituentur, posset dici

terminari relationes paternitatis non ad filiationem formaliter. Videatur Suar. d. Met. 46. l. 6. n. 37.

OBJICITUR 2. Auctoritas Arist. qui tractans de Relatione dicit, quod circumscriptis omnibus quæ ad servum pertinent, ut esse bipedem, esse scientiæ capacem, & relicto hoc solo quod sit servus, terminabitur adhuc ad illum Relatio Domini, Ergo sentit relationem terminari ad Relativum.

RESPONDETUR. Quod non dixerit Arist. omnia omnino absoluta circumscribi posse, & tamen adhuc mensuram relationem Domini ad servum, sed sentit circumscribi posse omnia absoluta, non spectantia, nec fundantia rationem servi: aliàs si sentiret circumscriptis omnibus absolutis, posse esse relationem Domini ad servum, non dixisset relinqui debere servum, sed relinqui debere servitutem, servitus enim est relatio; servus autem est concretum involvens absolutum quid, hoc est Entitatem servi quantumvis restrictam formalitate servitutis.

OBJICITUR 3. Relativa sunt simul naturæ, sed si relatio v.g. paternitatis non referretur ad relationem filii, non essent simul naturæ paternitas & filiatio. Ergo. Minor probatur. Prior esset paternitas terminata ad substantiam genitam, quàm filiatio terminata ad substantiam generantis: Ergo non essent simul.

RESPONDETUR. Neg. Min. & probationis anteced. imò ex hoc principio oppositum in probationibus ostendimus, hæc enim quæ sunt simul natura, unum non debet præsupponi alteri; sed terminus præsupponitur relationi. Ergo non est simul naturæ cum relatione, quod autem terminus præsupponatur relationi, hoc inde est. Tum quia censetur primum ex fundamento & termino pullulare relatio: Ergo apparet terminum præsupponi à Relatione. Tum quia habent se terminus & relatio, sicut principium & principiatum, certè enim non intelligitur poni terminus, propter positam Relationem, sed potius intelligitur poni relatio, ex posito termino. Ergo relatio est tanquam principiatum, terminus autem tanquam principium illius. Ergo ulterius relationi præsupponitur terminus. Benè hic addit Suar. n. 23. Simultaneam hanc naturæ, quæ est inter duo correlativa, non fundari in formali habitudine eorum inter se, sed in necessaria connexione, quam habent in Fundamento & Terminò; quia scilicet neutra consurgere potest, quin simul consurgat alia, hinc Pater & Filius, sunt simul natura, neque enim filiatio præsupponitur paternitati, tanquam terminus. Pater autem, vel potius paternitas & hæc substantia genita, non sunt simul natura, præsupponitur enim Relationi Paternitatis tanquam terminus substantia genita.

INSTAT. Substantia genita est prior paternitate, est enim terminus prior ut diximus relatione, sed Filiatio est substantia genita. Ergo Filiatio est prior Paternitate.

RESPONDETUR. Filiatio formaliter accepta est substantia genita. Nego Minorem (formaliter enim accepta dicit ipsam formalitatem relationis.) Filiatio materialiter accepta & realiter, est substantia genita. Concedo Minorem. Distinctioque Conseq. Nego Conseq. Et dico Filiationem realiter acceptam seu pro substantia genita esse priorem Paternitate, non tempore sed Naturâ, sicut ipsa Relatio, est posterior termino, non tempore sed Naturâ. Quod autem dicitur. Petrus prius est Natura homo, & prius natura est genitus, quam sit filiatio. Ergo & Joannes prius naturâ erit Genitor, quam sit Paternitas, hoc concedo totum. Sicut enim præsupponitur Filiationi substantia genita, ex qua pullulat Filiatio, ita præsupponetur Paternitati substantia generans, tanquam id, ex quo pullulat Paternitas.

OBJECITUR 4. Commune axioma. Relativa sunt simul cognitione, & definitione, sed si Paternitas v. g. non terminaretur ad Filiationem, hoc est, si non terminaretur Relatio ad Relativum, posset cognosci Paternitas sine Filiatione. Ergo Relativa non essent simul cognitione. Minor prob. Posset cognosci Paternitas, quæ est relatio, cum suo Termino, hoc est esse absoluto, quod terminat Relationem Paternitatis, non attingendo Filiationem, sufficit enim ad cognitionem Paternitatis cognoscere fundamentum in circumstantia termini, qui per nos est quid absolutum: Ergo posset cognosci Paternitas non cognita Filiatione.

RESPONDETUR. Dist. Min. si Paternitas non terminetur ad Filiationem posset cognosci sine Filiatione tanquam terminante formaliter Relationem Paternitatis. Concedo Minorem. Posset cognosci Paternitas sine Filiatione, tanquam nec concomitante terminum Formalem nec identificata termino Formali, adeoque materialiter, & identicè non terminante. Nego Min. & Dist. Conseq. nego Conseq. & dico. Quamvis relationem Paternitatis per nos non terminet Filiatio, propter rationes adatas, sed terminat substantia, tamen concomitanter terminat & filiatio, quia filiatio, est identificata substantiæ genitæ.

RESPONDENT Alii. Quod relativa sint simul naturâ, si unum formaliter & aliud materialiter relativum spectetur, non verò si alterum, tanquam formaliter relationem terminans, spectetur.

INSTAT 1. Si una Relatio non dicit aliam tanquam Terminum, sequitur non posse dari causam, cur posita unâ v. g. relatione Paternitatis, necesse habeat resultare alia, v. g. Filiatio-

nis, satis enim est, quod fundamento respondeat terminus.

RESPONDETUR. Hoc inde esse, quia quando respondet Paternitati terminus, respondet per nos substantia genita, hocque ipso pullulare debet filiatio, impossibile enim est esse substantiam genitam, & non esse filiacionem.

INSTAT 2. Si terminus est prior ipsa relatione, sequitur, quod v. g. effectus prior quâ terminat relationem causæ, ipsa relatione, sed non est prior. Ergo. Minor probatur, quia effectus non est prior causâ.

RESPONDETUR. Effectus non est prior causâ in ratione effectus. Conc. Non est prior in ratione Terminantis relationem. Nego Propositionem.

ADDO, ut salventur hæc duo dictamina: Causa est prior suo effectui; & istud aliud: Correlativa sunt simul natura. Ita scilicet hoc accipiendum. Quando dicuntur esse simul naturâ, utrumque debet accipi ut relativum formaliter, ita ut neutrum respectu aliûs habeat rationem, Termini, si enim haberet rationem Termini, hoc ipso non esset simul naturâ, ut dictum. Causa autem in eo sensu, est prior suo effectui, in quantum effectus accipit esse à causa. Dicere ulterius potes, causam comparatam cum effectui, in quantum ille accipit esse à causa, esse priorem effectui, in quantum autem terminat respectum causæ, esse priorem causâ, omnis enim Terminus, est prior relatione naturâ.

Quod attinet: an Relativa sint simul definitione. Respondendum erit, quod scil. concomitantes sint simul definitione, non verò sit utrumque; ut formaliter relativum accipiatur. Certè enim paternitas cum sit relativum, sine termino definiri non potest, si sine termino definiri non potest, sine substantia genita definiri non potest, ad quam substantiam genitam, quia concomitanter habet se filiatio, ideo sine filiacione, concomitanter definiri non potest. Quod verò formaliter accepta Paternitas, si definiatur non exigit definiri per Filiationem, innuit Arist. 6. Top. c. 3. ubi docet tradi debere definitionem per priora, cum filiatio non sit prius paternitate, paternitas per filiacionem definiri non debet. Rursus siquidem paternitas & filiatio sunt opposita, cum idem Arist. doceat oppositum per oppositum definiri non posse, ideo nec per filiacionem formaliter, Paternitas formaliter definitur.

INSTAT 3. Paternitas terminatur ad filium, ut filius est, ergo terminatur ad aliquid relativum.

RESPONDETUR. Paternitas terminatur ad filium ut filius est, ita, ut ly ut, reduplicet relationem filii, negatur anteced. ita ut reduplicet substantiam genitam. Conc. Antecedens & Nego Consequentiam.

OBJE-

OBJICITUR 5. Commune axioma. Inter relativa debet esse oppositio: inde Ruvius sic argumentatur. Oppositio Relativa, reperitur inter relativa, ut relativa sunt formaliter. Ergo & mutua relatio includet essentialiter mutua oppositionem relativam. Sed mutua oppositio relativa, essentialiter includit utramque rationem referendi, & terminandi: Ergo utrumque officium exercent relativa per relationes, & non per fundamenta absoluta.

RESPONDETUR. Transeat primum Enthymema. Dico Transeat, quia oppositio relativa, debet esse communis omnibus relativis, non ergo debet esse inter relationem, & relationem, alias in relationibus non mutuis, non esset oppositio relativa, quia non sunt illic duae Relationes; Subsumptum Dist. sed mutua oppositio relativa, essentialiter includit utramque rationem referendi & terminandi, sub eadem formalitate. Nego, sub diversa formalitate Conc. Subsum. & Nego Conseq. Unum enim relativum respicit aliud, per rationem formaliter respectivam, sed terminat ut dixi non per rationem respectivam formaliter, sed per absolutum.

INSTABIS 1. ex eodem. Mutuo relativa sunt, quorum quodlibet respicit aliud, & ab eo respicitur: Ergo si Formaliter respicitur, formaliter terminat Relationem.

RESPONDETUR. Eadem Dist. quod scilicet mutuo relativa, debeant respicere, & respici, sed sub diversa formalitate.

INSTAT 2. Nulla est ratio cur sub eadem Formalitate, non se respiciant & terminent mutuo relativa.

RESPONDETUR. Esse rationem, quia Mutuo relativa, debent esse simul Naturâ, non essent autem simul Naturâ, si unum respiceret aliud, tanquam Terminum.

INSTAT 3. Quod per se primò opponitur relativo, illud per se primò respicitur à Relativo, sed correlativum formaliter opponitur Relativo: Ergo illud primò respicitur.

RESPONDETUR. Illud primò & per se respicitur à relativo, quod per se primò illi opponitur, ut quo. Nego majorem. Quod illi primò & per se opponitur. Ut quod, Conc. Major. Distincta Minori. Nego Conseq.

RESPONDETUR 2. ex fundamento sententia; illud hic primò respicitur, quod per se opponitur, & stat cum hoc, ut correlativa sint simul natura. Concedo Majorem, si non stat cum hoc ut correlativa sint simul natura. Nego Majorem Dist. Minori. Nego Consequentiam. Si autem ipsum formaliter correlativum respiceretur, non essent correlativa simul natura, ut probatum est.

ADDIT Pont. quod scilicet ad mutuam oppositionem, non hoc sit requisitum ut respiciat

unum, aliud respiciatur, sed ut unum sit realiter distinctum ab alio, & terminetur ad aliquid, ad quod, non terminatur aliud. Quod autem dicitur, si præscindantur Paternitas & Filiatio à Fundamento, opponuntur secum & se invicem terminabunt, id non convincit, quia posito illo casu impossibili, erunt relationes illae oppositae, mutuae, coexigentes se adinvicem, sed non erunt terminatae, sed terminabiles. Unde Paternitas est ad Filiationem, velut ad oppositum, non tanquam ad terminum.

DIFFICULTAS III.

An ad multiplicationem Terminorum multiplicentur Relationes?

Affirmant multiplicari Scotistae. Negant Thomistae. Quaestio hæc in nostris principiis locum non habet, quia apud Nos Relatio Paternitatis, nihil aliud, est nisi Entitas Patris in circumstantia Filii. Cum ergo Entitas Patris ad secundi Filii positionem non multiplicetur, ideo nec relatio Paternitatis, secundum id quod dicit pro subiecto multiplicabitur, licet multiplicetur ratione extrinsecorum, intrinsecè ad relationem requisitorum, hoc est ratione aliûs, & aliûs Filii. Breviter ergo ad titulum Responderi potest. Multiplicatis terminis multiplicari relationes secundum extrinseca intrinsecè ad relationem requisita, non verò secundum rationem, quam pro subiecto important Relationes. Procedet ergo quaestio: an multiplicatis Terminis, necesse sit ex modo nostro concipiendi fundato in re concipere plures advenientes formalitates, quarum una v. g. referat Patrem ad Stanislaum Filium, alia ad Joannem &c. Ad quam Quaestionem.

DICENDUM. *Multiplicatis Terminis, multiplicari Relationes.*

Probatur Auctoritate Arist. qui dicit: Relativa esse simul Natura, quo ex axioma tale fit argumentum. Si ad multiplicationem Terminorum, non multiplicarentur Relationum Formalitates, relativa non essent simul naturâ, sed sunt. Ergo. Sequela probatur, Posset esse Paternitas, & non esse Filiatio. Ergo. Antecedens probatur. Adam habuit Relationem Paternitatis ad Caim, cum necdum esset Filiatio Abelis, & tamen habuit Paternitatem Abelis, cum tu dicas per eandem Paternitatem referri Adamum ad Caim, & Abelem: Ergo potest esse Paternitas & non esse Filiatio.

Idem sic proponi posset. Ante Natum Abelem, & solo existente Caimo, vel habebat relationem Paternitatis ad Abelem Adam, vel non habebat, si habebat, Ergo antequam natus fuisset, Adamus, Pater Abelis jam erat, & Fi-

† P p 4 lius

lius Abel non erat: quod si concesseris, inferam. Ergo Abel antequam natus esset, & erat Filius & non erat, non erat ut supponitur, & erat, quia qui habet Patrem, est Filius. Abel antequam natus esset habuit Patrem: Ergo antequam natus est, erat Filius. Si autem non habebat relationem Paternitatis ad Abelem Adam quantumvis habuerit relationem Paternitatis ad Cainum: Ergo non una Paternitate refertur Adam, ad Cainum & Abelem.

PROBATUR 2. Multiplicatis Rationibus fundandi, & Terminis, multiplicantur relationes: Ergo una relatio non poterit respicere plures Terminos, si adsint novæ rationes fundandi. Antecedens probatur. Multiplicatis causalitatibus multiplicantur effectus, sed rationes fundandi sunt causalitates, & relationes, sunt illarum effectus. Ergo multiplicatis Rationibus fundandi multiplicantur Relationes. Idem sic proponi posset: Accedente nova ratione fundandi, debet fundari novum quid, sed non fundatur præexistens Paternitas. Ergo fundatur nova.

PROBATUR 3. Inexplicabile est, quomodo una numero Relatio tam multos terminos respicere possit. Et à pari probatur. Pro diversitate specifica terminorum multiplicantur relationes specie. Ergo & pro diversitate numerica terminorum, multiplicabuntur Relationes numericè.

RESPONDENT 1. Thomistæ. Ad productionem Abelis non resultare novam Relationem, sed tantum veterem extendi ad Abelem, quæ fuit ad Cain tantum: ad eum modum, quo idem habitus, circa idem objectum, ad aliam numero demonstrationem solum se extendit, & non multiplicatur ad illam. Item eadem quantitatis absque ulla additione aliis quantitatis in rarefactione, plus spatii occupat, per solam extensionem præexistentis quantitatis, & sicut baculus fixus in fluvio dicitur de novo coexistere succedentibus aquis, ex sola novitate partium, & nulla sui multiplicatione, ita & una Paternitas, extendet se ad alium Filium, sine ulla sui multiplicatione.

CONTRA 1. ex Mastr. Tum quia ista extensio prioris Relationis, vel est extensio per rationem, vel in re, non potest esse extensio per rationem, quia à parte rei respicit novum filium, si autem hæc extensio est in re: Ergo per novum aliquem respectum: quia extensio ad novum terminum, non potest esse quid absolutum. Ergo debet esse respectus formaliter. Quæ ratio maxime urget in principiis Thomistarum asserentium Relationem esse realiter superadditum quid. Tum quia paternitas fundatur super generationem, vel illam necessario sequitur. Ergo si generatio, non est prioris generationis extensio, neque paternitas erit extensio prioris paternitatis.

CONTRA 2. Quia exempla à Thomistis adlata non evincunt, si enim idem habitus non inclinaret ad similem demonstrationem iis demonstrationibus, à quibus est productus, hoc ipso non esset habitus, cum de ratione habitus, sit talis inclinatio; si autem eadem paternitas, non referret ad alium filium, nihil erit contra rationem & definitionem paternitatis. Quod attinet ad rarefactionem, illa vel est qualitas realiter superaddita, vel fit ut alii volunt, per intromissionem corpusculorum. Nego item quod baculus per extensionem ejusdem coexistentiæ, aliam, & aliam præsentiam habeat.

CONTRA 3. Tum quia, quando cognoscimus objecta, solo numero distincta, non est extensio unius cogitationis, ut v. g. cognitio quæ cognosco Petrum, si postea cognoscam Paulum, non est extensio cognitionis Petri: Ergo neque est sola extensio paternitatis præexistentis, ad novum filium. Tum quia hæc extensio, vel fit, per extensionem novæ formalitatis, per quam præexistens paternitas, quæ refert ad Cainum, denominatur etiam paternitas ad Abelem, vel certe fit per acquisitionem novæ Entitatis, quomodo augetur habitus in sententia, non tenentium illum esse simplicem qualitatem. Neutro modo fit hæc extensio, ut probetur. Certè enim non fit per acquisitionem novæ formalitatis, quia si fieret hæc extensio paternitatis, per solam acquisitionem novæ formalitatis: Ergo poterit (contra quam velint Thomistæ) fundamentum per acquisitionem novæ formalitatis, & sine superaddita realiter relatione, referri ad aliud. Si autem fit per acquisitionem novæ Entitatis: Ergo jam non est in re extensio prioris paternitatis, sed novum quid, quod ante non fuit, & hoc novum Nos appellamus relationem v. g. ad Abelem; Tu quomodo velis, appelles, idem enim jam sentis.

RESPONDENT 2. Complut. Relationis paternitatis v. g. duplex est terminus. Formalis unus, qui est respicere rationem filii, & alius Materialis, qui est respicere, hunc & hunc, & hunc filium: variatis ergo terminis Materialibus, multiplicatis item, vel diminutis, quia manet vel in uno filio, ratio formalis termini, ad quam tendit paternitas, ideo & invariata formaliter paternitas manet.

CONTRA est. Tum quia sequeretur etiam ad cognoscenda objecta solo numero distincta, eandem numero esse formaliter cognitionem, licet alia sit materialiter, ut dixi superius. Tum quia hoc quod est respicere, novum Materialiter terminum, vel est nova formalitas vel nova realitas. Neutrum dici potest. Tum quia hoc, quod est unam esse filiationem formaliter, idem est, ac esse unam specie filiationis, sed hoc non obstante, debet esse formalis multiplicatio rela-

relationis, quod probō. Etiam si omnes homines conveniant in una formali ratione hominis, hoc tamen non obstante, in Individuis multiplicatur ratio formalis, & unusquisque distinctam numericè, habet formalitatem hominis. Ergo etiam si conveniant & illi termini in ratione v.g. filii, hoc non obstante, unusquisque habebit formalitatem filii, & unusquisque formaliter, non materialiter terminabit Relationem paternitatis: Ergo unusquisque formalis, non materialis erit terminus Relationis, contra quam voluerunt Complutenses.

OBJICITUR 1. Aristotelis auctoritas 5. Metaph. tex. 2. ea esse idem numero docentis, quorum una materia est, sed unum subiectum Relationis v.g. Adam, est materia Relationis: Ergo in uno Adamo una est Relatio.

RESPONDETUR. Multum probari. Probatur enim etiam ad specie distinctos terminos eandem esse relationem: quia idem subiectum relationis, est etiam ad distinctos specie terminos. In forma explicandus erit Arist. ex Fonseca, quod scilicet, velit illas substantias Physicas esse idem numero quæ habent eandem materiam. Quanquam totum hoc argumentum non est contra Nos, qui dicere possumus, eandem esse relationem ad primum & secundum Filium, eandem inquam, si relatio spectetur secundum id, quod dicit pro subiecto, licet alia & alia sit, spectata secundum id, quod dicit pro obliquo, & connotato.

OBJICITUR 2. Accidentia solo numero distincta, non possunt esse in eodem subiecto, v.g. plures numero albedines, in eadem parte subiecti: Ergo nec Relationes solo numero distinctæ.

RESPONDETUR. Accidentia quæ idem præstare nata sunt, si sint solo numero distincta, non possunt esse in eodem subiecto. Concedo Antecedens: si sint nata diversum quid præstare. Nego Antecedens. Diversum autem quid præstat paternitas Cain, refert enim ad Cainum, & diversum præstat paternitas Abelis, refert enim ad Abelem. In nostris principiis hoc non habet difficultatem, licet enim accidentia Physica, solo numero distincta, non possint esse in eodem subiecto, præcipue si idem utrumque præster, possunt tamen esse plura Accidentia Logica, adeoque & Relationes, quas multiplicari debere ad diversos numero terminos probatum est.

OBJICITUR 3. Si plures paternitates possent esse in uno subiecto, illud subiectum non esset unus pater, sed plures, quia ad multiplicationem abstracti, debet multiplicari concretum.

RESPONDETUR. Negando sequelam cum probatione, quia ad multiplicationem abstracti, tunc multiplicatur concretum, quando & subiectum, cui inest forma multiplicatur. Cum

ergo non multiplicetur natura humana in Adamo, ad multiplicationem terminorum, nec multiplicabitur concretum hoc, Pater, licet possit dici, Adam, esse plures pater, ita, sicut si in uno subiecto ponerentur plures albedines, non diceretur subiectum illud plura alba, sed pluries album. Ubi videre potes, paternitatem Caini habere effectum suum formalem, quod sit, & denominetur Adam pater Caini, habebit etiam secunda paternitas effectum suum formalem, quia referet, & denominabit Adamum, habentem se ad Abelem.

INSTABIS 1. Ergo alia relatione referetur filius ad patrem, alia ad matrem?

RESPONDETUR. Concedo totum. Cum enim uterque ad positionem filii partialiter concurrat, ad utrumque erit Relatio, ad eum modum, quo & ignis & calor concurrat ad productionem alijs ignis, ignisque productus ad producentem ignem, calor item productus ad calorem producentem refertur.

INSTABIS 2. Sequitur ex dictis: alium esse numero Patrem Caini, alium Abelis; quia una paternitate, est unus pater: Ergo & aliâ paternitate, erit alter Pater.

RESPONDETUR. Negando id sequi, altera autem paternitate non denominatur alter pater, quia ipsum subiectum, hoc est, natura Adami, non multiplicatur, multiplicata formâ, hoc est paternitate. Committitur etiam hic fallacia Accidentis, quia id quod uni tribuatur, non in quantum unum est cum illo, sed in quantum est aliud quid ab illo, atque ita, quia formalis ratio paternitatis, multiplicatur, volunt oppositi, materialem illius rationem, seu subiectum multiplicari.

INSTABIS 3. In eadem actione fundatur utraque paternitas: Ergo eadem est.

RESPONDETUR. In eadem actione, quoad speciem, fundari & secundam, & primam paternitatem, sed non in eadem numero: consequenter & paternitates secundum speciem idem erunt, sed non idem numero, quæ responsio procedit in sententia distinguendum Relationem.

OBJICITUR 4. Una relatione Transcendentali potest fundamentum ad plures terminos referri, unâ relatione causâ refertur ad omnes effectus, Habitus & Potentiæ ad actus: Ergo & relatio prædicamentalis una numero, referet ad plures terminos.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Disp. est, quia relationes Transcendentales sunt secundò essentielles rebus, easque transcendunt, adeoque etiam earum unitatem induunt, Relationes verò prædicamentales, non sunt tales. Disparitas secunda est, quia ratio fundandi relationem Transcendentalem, est una tan-

QVÆSTIO V.

De affectionibus Relationum.

na tantum numero, v. g. vis causandi, rationes verò fundandi relationes predicamentales, v. g. plures actiones generandi, non sunt idem numero, hinc quando causa respicit effectum actuale, respicit illum relatione predicamentali, & quia aliud est exercitium actuale, hujus virtutis ad hunc effectum tendentis, & aliud exercitium, hujus virtutis tendentis ad effectum illum, ideo etiam Rationes fundandi e-runt distinctæ, consequenter & Relationes. In nostris principiis hæc distinctio numerica relationum, solum debet esse ex modo nostro concipiendi distincta.

OBJICITUR 5. Si ad multiplicationem Terminorum, multiplicentur Relationes: Ergo sunt infinitæ.

RESPONDETUR. Tot fore relationes, quot terminos, qui quia infiniti non sunt, nec Relationes sunt infinitæ.

PRIMA est habere Contrarium, hoc est Oppositionem veram & realem. Secunda suscipere magis & minus. Sed hæc proprietas non omnibus convenit, duplum enim non est magis vel minus duplum, sed in indivisibili consistit; Cæterum duæ quantitates inæquales; possunt majorem vel minorem habere Inæqualitatem. Tertia dici ad Convertentiam, & ita dicitur Filius, Filius Patris, & Pater, Pater Filii. Quarta ut sint simul naturæ, & ut id in duobus eluceat. Primò ut valeat ab uno subsistendi consequentia ad aliud, quæ formaliter relativa, valet subsistendi Consequentia ad effectum. Secunda Ut unum, non sit causa aliud, hinc paternitas quæ paternitas est, non est causa filiationis, licet Pater materialiter acceptus sit causa Filii. Quinta Esse simul cognitione & definitione.



TRACTA-